

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quòd partium rerum creatarum, necessaria sit differentia. Cap. XIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

## CONSTANTINI ORATIO

qui preces faciunt, illuminandas suppeditandum. Modestissima etiam multorum conuicia, tum ad egentes misericorditer & benigne subleuandos, dum ad eos iuuandos, qui patria exciderunt, instituta, quæ certe si quis absurdum putet, non sentit ille quidem sicut diuinissimæ sanctissimæq; disciplinæ regula postulat.

*Quod partium rerum creatarum, necessaria sit  
differentia.* CAP. XIII.

**I**A M verò nonnulli in Deo incusando, nugas consestantur plane pueriles, dum querunt, quid tandem sibi voluisset, quod non unam eandemq; naturam fabricatus sit, sed multa genera, varia, & natura repugnantia in lucem edi præcepit, unde dispar morum nostrorum & voluntatum ratio profecta est, fuisse fortasse melius, tum ad morem Dei præceptis gerendum, tum ad accuratam illius comprehensionem, tum ad fidem cuiusque confirmandam, si omnes homines fuissent iisdem moribus & vitae institutione prædicti: Verum ut omnes iisdem moribus eademque indole imbuti fuissent, æquum putare est admodum planè ridiculum. Neque enim considerant, diuersam esse mundi & rerum in eo contentarum constitutionem. Nam quæ ad naturæ rationem pertinent, non eandem vim habent, cum his quæ ad mores: neque corporis perturbationes cum his, quæ animum commouent, eadem sunt. Neque tamen humanum genus diuinę bonitatis expers est, neque omnino omnium, neque quorumlibet natura illius fit particeps, sed eorum, qui diuinam naturam, quique illud vitæ genus, quod rerum diuinorum facile primas tribuit sibi delegerunt.

*Quod creata natura, immenso ab increata intervallo  
distat, & quod proprius accedit ad eam homo, si es-  
tatem in excolenda virtute traducat.*

CAP. XIV.

**E**A verò quæ ortum habent, cum æternis comparare, extrema reuera insania est. Horum enim neque principium est, neque finis: Illa vtpote generata ortaque, cum initium, ut sint & viuant, tempore sumant, necessario & non sine causa finem habent. Ea autem, quæ generantur, cum eo qui